



# The Holy See

---

PIUS PP. X

EPISTOLA

***QUA PONTIFEX GRATULATUR DE COETU EUCHARISTICO  
ENGOLISMAE HABENDO UBERTATEM FRUCTUUM INDE EXPECTANS\****

VENERABILI FRATRI  
FRANCISCO ERNESTO EPISCOPO ENGOLISMENSIIUM - ENGOLISMAM

*Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.*

Primum post impositum Nobis universae pondus Ecclesiae, cogi brevi contingit eucharisticum ex omni natione coetum, ac delectam illi habendo scimus urbem pastoralis officii tui Sedem, Engolismam, nobilem profecto civitatem ac piam. Tibi, sollerti religiosoque Praesuli, ceterisque celebrandi conventus auctoribus, libet e credita Nobis Pontificatus Supremi Cathedra illos aperire sensus, quibus paucos ante annos Ipsi incendebamur, quum Venetiis congressum Italiae XV celebraremus ad cultum Sacramenti Augusti exaugendum. Equidem praeclarum eventum, pro ea, quam inde expectamus, ubertate fructuum, omni animi laetitia gratulamur, lesumque Sacramento latentem, cuius ad amplificandum honorem undique ac plurimi profecto convenietis, adprecamur vehementer velit Ipse vestris adspirare consiliis, coetusque salubria opera coelestis gratiae rore fortunare. Vobis autem ad deliberandum aggressuris versetur illud in mente, communem populorum pietatem in pietatem intueri vestram, ab eaque quaerere et exemplum imitationi propositum et incitamentum perficiendae virtuti destinatum. Haereat etiam illud in animis, gratiam eucharistici conventus talem omnino esse existimandam, ut commoti eius efficacitate homines ac meliores effecti, iam non videantur, in re christiani cultus praecipua, posse ullo modo in posterum reprehendi. Iis praesertim qui adversario ausu in Eucharistiam feruntur, religione sensuum, voluntatum concordia, caritate denique verborum atque operum exemplo sitis, multosque ad adhibendam sacramento venerationem atque ad concipiendum divini alimenti amorem allicite. Haec si in conventu spectaveritis, Deumque in primis si prece magna rogaveritis vobis uti ex altari

adsit, in quo sacris tectus speciebus, amoris caussa, latitat, erunt procul dubio frugiferi coetus vestri labores. Nos autem coelestium gratiarum auspicem Apostolicam Benedictionem tibi atque omnibus, qui in congressu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

*Datum Romae apud S. Petrum, die XI Maii MDCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.*

**PIUS PP. X**

---

\*AAS, vol. XXXIX (1906), p. 135-136.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana